

Heinrich Nolle


**Viri Celeberrimi Henrici Nollii, Doctoris & Professoris Steinfurtensis, De Re literaria prae aliis meriti, Discursus posthumus. Pro vera Philosophia & Medicina Hermetis. ex autoris relictis Schedis**

Descriptus ac editus, Rostochii: Hallervord, 1636


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778428982>


Druck Freier  Zugang





Mg-3257.  
<2>





*Viri Celeberrimi*

HENRICI

NOLLII,

Doctoris & Professoris Stein-  
furtensis,

De Re literariâ præ alijs  
meriti,

Discursus posthumus.

Pro verâ Philosophiâ & Medi-  
cinâ Hermetis.

*ex auctoris relictis Schedis*

Descriptus ac editus.



ROSTOCHII

Prostat apud Johan. Hallervordium,  
bibliopolam ibidem

---

1. 6 3 6.

Mg - 3257

M




*Clarissimo, Doctissimo & Integerrimo*  
*VIRO,*

**Dno JOACHIMO MORSIO,**  
**Veræ Philosophiæ ac Medicinæ**  
**Hermeticæ indagatori Soler-**  
**tissimo,**

*Dno. & fautori pl. honorando*  
*atq; amico intimo,*

**Orationem hanc pro veri-**  
**tate immotâ habitam,**



**D. D. D. C.**

**Autor!**

## HENRICI NOLLII

Dissertatio

*Pro vera Philosophia & vera  
Medicina*

**Q**uanquam in animum induxi  
meum, Auditores, de verâ &  
solidâ Philosophiâ nihil vul-  
gare & in lucem emittere, ta-  
men meus in bonos & veritatis cultor-  
es affectus singulis ferè horis eò me  
deducit, ut Philosophica meditari, &  
juventuti Scholasticæ prodesse per-  
gam. Si sanè vel scholasticos intueris,  
atq; eos de verâ Sophiâ consulueris, si-  
bi & veram & solidam esse sapientiam  
pronunciabunt. Si Galenistas inter-  
rogaveris, atq; ubi naturæ mysteria,  
inveniantur, sciscitatus fueris, sibi divi-  
nitus naturæ arcana paterè uno ore af-  
firmabunt. Sin verò sunt, qui nec pe-

A 2

ncs



nes Scholasticos nec penes Galenistas  
 Sophiæ veritatem esse probant & te-  
 stantur, hi illis stulti, atq; digni, qui ex  
 hominum consortio tollantur, habentur.  
 Hisce momis accedunt, qui in a-  
 lienam messem falcem mittentes de na-  
 turæ potestate & miraculis judicare, &  
 ex vero fundamento seu lumine natu-  
 ræ differentes sannis persequi, irridere,  
 atq; apud alios in contemptum addu-  
 cere summopere conantur, cum tamen  
 naturæ vim & veræ Sophiæ arcana,  
 præ intellectus depravati malitiâ non  
 percipiant. Summum mihi videtur  
 flagitium id contemnere quod ignora-  
 tur, id reprehendere quod non apprehenditur.  
 Quisq; talentum suum di-  
 vinitus sibi concessum fœnori expo-  
 nit. Et in Deum sceleratè peccat, qui  
 rivulo divinitus nobis aperto, & felici-  
 ter affluentem obdit pessulum. Pœna  
 invidos ejusmodi Zoilos manet certa,  
 Pereant hi malè sani homines, & vena  
 solidæ Sophiæ fluat, Fluat inquam, ut  
 exinde

exinde aquâ vitæ potentur qui sitiunt.  
Fluat ergo mihi vena, & in orbem ef-  
fluat dicendo. Nostra Philolophia,  
una est, Sola est, & Sola vera est. Philo-  
sophiam puto Hérmeticam. Et ne quis  
dubitet, hac oratione hujus sapientiae  
veritatem ita evincam; ut nisi quis te-  
merarius esse velit, mihi necessario ad-  
stipuletur, vos modo benevolas ve-  
stras aures mihi commodate, & tenuita-  
tem styli mei excusando, rem ipsam se-  
riò ponderate.

Ut ergo exordiar. Philosophia  
Hermetica de qua in præsentiarum agi-  
tur, non est Aristotelis contentiosum  
commentum, nec Rami ambiguum te-  
gumentum, nec Galeni de non existen-  
tibus Humoribus figmentum: Sed est  
exquisita scientia unius illius Spiritus,  
qui intus Essentiâ, præsentia, & partici-  
patione sui, omnia in hoc mundo alit,  
nutrit, vivificat, generat, regenerat, atq;  
tandem inferius in naturam superioris  
transplantat & reducit.

A 3

Hic

Hic Spiritus omnia in omnibus operatur, & in hoc Spiritu omnia sunt unum, quia idem in omnibus est: Coelitus hæc anima universi per radios solis, lunæ, & stellarum, ad nos defluit, non quod inferiora anima ista destituantur *εὐπλοῦς*, sed ut Coeli illa potentissima & efficacissima virtus Spiritum terræ impactum à vinculo corporis liberet, vindicet, atq; secum in naturam impermutabilem, perpetuam, coelestem, & divinam provehat.

Quicumq; hominum carceri inclusus est, nihil agit nisi hoc unicum, ut omni conatu ad liberationem adspiret, nihilq; omittat, quod ad redemptionem sui vel aliquo modo facere videatur. Ita etiam, cum propter lapsum protoplastorum Spiritus illius una portiuncula in crassam, duram, impuram, & omni foeditatis genere conspurcatam, terram immissa, inserta, & impacta sit, Spiritus ille, implorans Dei opem ab ipso hoc tandem impetravit, ut e caelo per

per radios stellarum idem Spiritus, Angelus S. Michael demitteretur, reliquis tenebricoso corpore obrutis subveniret, generationem & regenerationem, mutatione inferret, atq; tamdiu hasce operationes continuaret, usq; dum occultum fiat manifestum, & cum hoc Spiritu omnia unum sint, suramq; puritatem impuritatibus absumptis & combustis possideant. ô terq; quaterq; felix, cui hic Spiritus, hæc anima hoc arcanum, notum est. Cræsus se beatum possidendo hujus Mundi divitias existimavit! Quidni longe beatior erit, qui hujus mundi unicum Spiritum omnium rectorem, gloriam nimirum, totius Mundi tenuerit.

Quanquam verò hæc naturæ medulla, & summum arcanum ubiq; sit & operetur, tamen Creaturæ quibus continetur, inæqualiter eo fruuntur & participant, ut hinc unum altero constantius & æternitati meritò sit vicinius! Quanto enim illius divine veritatis ma-

ior copia in aliquo subiecto datur, tanto propius illud est perpetuitati & ab impuritate remotius, de ipso solo homine dicam.

Hæc creatura rationis compos, uniuersi Spiritu dotata est, & à Deo eo fine condita, ut ex inferioribus ad superiora deferatur, ex multitudine ad unum illud summum, quod DEUS est, provehatur, cum Spiritu uniuersi diuinitus perpetuitati destinato, in Deo perfecte uniatur, atque in supercoelestem sanctumq; paradysum sine temporali morte perducatur. Verum enimvero homo impuris mundi delictijs seductus legem Dei violauit, atque hinc iram terOpt. Maximi promeritus, in terram impuram detrusus est, ut ex impuritatibus quibus antea delectabatur, sibi vitam abbreviaret, mortem acceleraret, & resipiscens ex morte in vitam æternam per redemptorem suum verum Messiam Jesum Christum deveniret. Magnum sane beneficium, quod

quod DEus ex merâ suâ gratiâ nobis miseris concessit, munus profecto tantum, quod nec ore satis depredicari, nec animo sufficienter potest recoli. Similiter non exiguum donum est donū sanitatis & medicinæ, quâ non mors ipsa propulsatur, sed hora mortis prolongatur, quâ impuritates ex impuris elementis & cibis assumptas ad tempus extrahimus, extradimus, & exterminamus, usque dum terminus vitæ divinitus nobis constitutus adsit, & nobis ex hac vita in alteram transitum præbeat. Munus hoc est ipse Spiritus Mundi ex incorruptibili substantia elicitus humanisq; imbecillitatibus tollendis divinitus aptus. Munus hoc mecum magni & summi precij æstimares, si Deus tuum animum eò permovisset, ut tuam ipsius infirmitatem ô Homo, agnosceres, infirmus es, & infinitis calamitatibus subiectus. Documento est peccati stipendium, quod Mors est. Mors corpora nostra non tentaret, preme-

A 5 ret,

ret, opprimeret, nisi ex lapsu protopla-  
 storum infirmitas nobis obtigisset, un-  
 de fit, ut cum per peccatum perpetui  
 necesse possimus, nec debeamus, cau-  
 sas imbecillitatum, per vitæ organa id  
 est, per instrumenta, quorum ministe-  
 rio entia vitam promoventia nobis ap-  
 plicamus, in nostra deiiciamus corpo-  
 ra, nobis appropriemus, & cum hosti-  
 bus vitæ amicitiam inire nobis propo-  
 namus, sed misera amicitia amicos quæ  
 premit, & peremit. Clarius rem evol-  
 vam. Cum arbore vitæ quâ vita nostra  
 in perpetuum produceretur, extra ve-  
 rum paradisum destituamur, subsidia  
 quibus vitæ nostræ Spiritus continue-  
 tur, & in corpore nostro longius confer-  
 vetur aliunde ex elementis impuris pe-  
 tere cogimur, æquum enim est, ut si-  
 mile ex simili nutrimentum sibi sumat.  
 Hinc cum nutrimento venenum, cum  
 elementis feces omnisq; generis foedi-  
 tates & à nostra natura alienas substan-  
 tias nostris corporibus propinamus,  
 in-

ingerimus, & sæpiusculè ut in helua-  
tionibus fieri solet, vi intrudimus, arbi-  
trantes, vitam nostram, quæ ex Spiritu  
universi est in hoc consistere, ut natu-  
ram alienis rebus obruamus, moleste-  
mus, & excruciemus; Si ex animo &  
cabalístico Naturæ lumine excremen-  
ta corporis tui ponderares, atq; eorum  
permanentiam in corpore esse potis-  
simorum tuorum morborum veram &  
certissimam originem cogitares, ab im-  
pietate in piam revolvereris vitam &  
poenitentiam maturè ageres. Ex cibo,  
quem per os ingerimus, duo à nostri  
ventriculi cæterorumq; membrorum,  
Archæo invicem separantur: utile sci-  
licet & inutile, homogenum & hetero-  
geneum. Heterogeneum & inutile ex-  
cretionem per alvum, per nares, per os,  
per cutem destinatur: id quod ipsa lo-  
quitur experientia. Homogeneum,  
nutritioni aptum, spiritum nostrum,  
alut, promovet, & conservat, primū vi-  
tales Spiritus in corde corroborat, dein  
ceps



ceps animales in cerebro refocillat & rationis functiones reddit expeditas: idque pro elaborationis nutrimenti varietate & subtilitate, si verò ex accidenti contingit, ut heterogenea natura cum homogenea simul intra corpus relinquatur, homogenum sua quasi sponte ad expellendum heterogenum fertur, ita ut hoc conatu dolores & morbi sentiantur & deprehendantur, Si vultis, ea quæ jam dicta sunt, sic intelligite.

Cibatur, cibus in ventriculum defertur, in eo concoquitur, & fit chylus, quo facto, ad alvum per mesenterium heterogenea substantia & fex crassissima deijcitur: ab hepate verò substantia, tenuior rapitur, coquitur, atque in sanguinem vertitur. Ab hac officinâ cætera omnia membra id, quod suæ naturæ convenientissimum est, accipiunt, digerunt, atque Archæus seu Spiritus universi singulis membris appropriatus, id, quod ab ipsorum natura alienum

num est, separat, disjungit, & per e-  
 munctoria propria expellit, id quod  
 mucus narium, sputum oris, excremen-  
 ta, alvi & aurium, sudor, aliaq; , quæ  
 per simplicem transpirationem sece-  
 dunt, & visui haud apparent, abundè  
 loquuntur. Si vero accidit, ut ejus-  
 modi impuritates retineantur, intra  
 corpus vel putrescunt, vel in lapides  
 congelantur, ut vel hisce modis morbi  
 infiniti suboriuntur & proveniunt. E-  
 xempli gratia, quando Archæus arti-  
 culorum ex quadam imbecillitate tar-  
 tarum seu feces, quas à nutrimento se-  
 paravit, per sudorem & invisibilem va-  
 pore extrudere nequit, tartarus ille  
 & Sal alienum articulos occupat, pun-  
 git, mordet, excruciat, atq; varijs mo-  
 dis exagitat. Morbus hic à nostris solet  
 vocari Arthritis: Si pedes infestat, po-  
 dagra, sin manus, chiragra: Si verò co-  
 xendicem, Ischias appellatur. Ubi  
 sciendum, quod, quò subtiliori nutri-  
 mento membrum aliquod pascatur, eo  
 diffi-

difficiliori & periculofiori morbo illud  
 divexetur. Si Archeus seu Spiritus  
 Universi incorporatus, ex quadam su-  
 peradveniente impuritate, vel nativa  
 intemperie & indispositione ita labe-  
 factatus fuerit, ut heterogeneum à suo  
 membro abiicere & expellere nequeat.  
 Atq; hinc hujusmodi morbus difficilè  
 curam admittit, & cum à subtilibus cau-  
 sis penetrantissimâq; materiâ ortum  
 suum traxerit, non nisi per summa ve-  
 ræ Philosophiæ arcana curari & abigi  
 potest: Hæc enim cum beneficio ve-  
 ræ sapientiæ omni impuritate exempta  
 sint, atq; summum subtilitatis summè  
 penetrantis gradum obtineant, voto  
 medici omni ex parte satisfaciunt. In-  
 telligitisne Galenistæ quæ loquor? o-  
 mnes vestros Syrupos, omnes vestras  
 turbulentas decoctiones, omnia vestra  
 electuaria, omnia vestra unguenta, o-  
 mnia vestra cathartica, diaphoretica,  
 diuretica & vomitoria, convasate, pro-  
 ducite, adducite, exhibere, propinate,  
 quid

quid quaeso in morbis istis acutis periculosis & summis efficietis? nihil equidem, nisi ut vestris apothecarijs remedijs ægrum paulatim in pejorem statum ducatis, trahatis, & præcipitetis. Sanè, si vester habitus inspicitur, si vestrae eloquentiæ fides datur, si vestra methodus consulitur, certio rem medendi rationem nemo præter vos amplectitur & sequitur. Sin verò æger, præsertim ex periculoso & gravissimo morbo decumbens adfuerit, vestramque opem imploraverit, non est qui opem ferat, nō est qui morbum, nedum ejus veram & genuinam intelligat causam. Vos ad vestram methodum tandem recurritis, vos vestras definitiones tanquam veritatis anchoras relegitis, vos vestros humores recoquitis, vos gradus elementarium qualitatum revolvit, & tamen nihil afferre potestis quod summum secundæ & tertie coctionis morbum extirpare valeat. Alia ergo ratio medendi incunda, alia

via

via proponenda, quâ æger ad sanitatem Deo annuente redeat. Si quis verò ex me quæsiverit, quænam illa sit, huic responsum esto, quod sit illa antiquissima & vere philosophica methodus, quâ Spiritum Universi ex macrocosmico aliquo corpore elaboratum, nostræ intimæ naturæ perfectè uniamus, nostrumq; humidum radicale, confortemus, ut nec morbo accessus detur, nec præsens morbus subsistat, quin statim ad Spiritus macrocosmici præsentiam è corpore exulare cogatur. Balsamus noster quem jam humidum radicale appellavi, si adhuc satis est fortis, sua marte fœdas & noxias impuritates extrudit, ut ex excrementorum exclusione cuiq; notum est: obrutus verò alienis naturis quæ intra corpus relictæ, nec per alvum nec per nares, nec per os, nec per cutem feceruntur, debilitatur, & hominem in morbum incidere permittit. Corroboratione ergo opus est, ut balsamus  
nati-

nativus ad pristinum vigorem reduca-  
 tur, & heterogeneas substantias exter-  
 minandi & eijciendi potestas balsamo  
 restituetur. Id quod non nisi per simi-  
 lem balsamum ex externo aliquo cor-  
 pore erutum, fieri debere in proapatulo  
 est. Siquidem simile non nisi per simile  
 corroboratur & augetur. Non nescio  
 non defuturos qui hæc vel lecturi vel  
 audituri in me invehantur, atque novæ  
 methodi me incusent. Verum enimve-  
 ro omnibus placere non possum: Nec  
 omnes ea quæ faciunt, ad meum placi-  
 tum faciunt. Incusent ergo licet alij me  
 novæ methodi; Accusent licet me ma-  
 joris criminis, tamen hoc mihi constat,  
 quod hæc via quam doceo, sit antiquis-  
 sima, è lumine naturæ deprompta, atq[ue]  
 medicinæ firmissimum fulcrum. Est, in-  
 quam, Hermetis arcanum de quo a-  
 pud veros philosophos multus habe-  
 tur sermo. Quod si vel in minimâ Dosi  
 exhibetur, citò, tutò, & jucundè opi-  
 nione citius id quod amissum est, resti-

B

tuit,

tuit, illudq; quod adhuc præfens est, & cum balsamo insito in constitutionem & conservationem hominis conspirat, vegetat, & conservat. Hæc Medicina unica est, quia subjectum ejus est unicum: incorruptibilis est, quia materia cœlestis: Cœlestis est, quia à cœlo influentiam omnium virium astralium possidet: Est verò tanta medicina, cujus præstantiam & virtutes nullius hominis lingua efferre & pronunciare potis est. Quemadmodum hujus seculi dispositio longe diversa est à dispositione seculorum præteritorum, idq; propter cœli respectum ad hæc inferiora, atq; propter temperamentorum summam mutationem, ita quoq; necessariò medendi ratio variat, atq; longe à Galeni ejusq; asecularum methodo dissentit. Natura in centro abscondita continuo motu in superficiem vergit: cum itaq; abhinc centum & pluribus annis id quod jam manifestatum est, in intimis latuerit recessibus, atq; jam tandem prodierit. quis hujus

hujus seculi statū esse alium ab antiquo  
 & præterlapso statu, ac proindè medi-  
 cinæ, methodū esse aliam, inficiabitur?  
 Idipsum & morbi testantur, qui hoc no-  
 stro tempore ad certum genus antiquis  
 notum revocari nequeunt. Vin<sup>9</sup> hujus  
 rei exempla? En dabo. Luem venereā  
 ante centum annos ortam, Galen<sup>9</sup> nec  
 Hippocrates novit, Cancroforū mor-  
 borum natura ad summum exasperata  
 est, ut Galenicis remedijs cedere non  
 possit, idem de podagricis, Epilepticis,  
 paralyticis, apoplecticis, alijsq; infini-  
 tis dicendum. Callum sanguineum qui  
 ex sanguinis vaporibus incensis & non  
 exire valentibus ortum suum trahit, ve-  
 teres plane ignorarunt, mihi tamen a-  
 liquoties & in senibus & juvenibus ob-  
 servatum. Erysipelata, quem capiti vul-  
 gus adscribit, certe antiquitas non no-  
 vit. Quæ cum ita sint, sic concludere,  
 placitum est.

Methodus quæ ex incertis ortum  
 trahit & dependet, non est vera, non est

B 2

soli-



solida, non est genuina, sed illa quæ ex certo & uno fundamēto procedit: quod non est aliud nisi lumen naturæ. Hoc enim nobis ostendit illam medicinam, quam omnis Galenistarum caterva nūquam vidit, nedum de ejus cognitione triumphum agere potest. Hæc verò est certissima via Hermeti nota, qua Spiritus Universi ex incorruptibili semine in nativâ terrâ natus, & nobis communicatus, homini in sanitatem indubitatam propinatur Spiritus, hic est aurum seminatum in propriam terram, & influentijs astralibus large impregnatum. Elaborare hanc essentiam si sciveris, eris Hermetis filius, & possidebis illud quod antiquissimi patriarchæ à Deo impetratum cum perpetuâ cordis lætitiâ obtinuerunt. Si materiam ejus cōsequi volueris, terram consule; si ignem, quo coquatur, cognoscere desideraveris, aquam adibis. Et omnia habebis, superiora scilicet in inferiorib<sup>9</sup>, omniumq<sup>3</sup>; astrorum toti<sup>9</sup>q<sup>3</sup>; cœli virtutes sub terræ  
 pin-

pinguis corpusculo comprehensas.  
 Quod scimus loquimur, & quod loqui-  
 mur verum est, Jesus Christus faxit, ut  
 redeat id quod nobis propter nostra,  
 peccata ademptum est. Tum aureum  
 revertetur seculum, & evanescet fer-  
 reum. De obscuritate eorum quæ dixi,  
 ne conquerere: Materiam enim veræ  
 medicinæ perspicuè I. detexi: si non in-  
 telligis, tuam ipsius accusa ignorantia,  
 Modus, quo ex verâ materiâ solidam  
 producamus medicinam ab Alchymia  
 nobis proponitur & docetur. Verum  
 nomine Alchymia non intelligo scien-  
 tiam & artem, qua aurum ex metallis  
 conficitur: Hæc enim doctrina ina-  
 nis est, & certissimum Sophistarum si-  
 gnum, qui hinc & illinc hac & illac va-  
 gantes, solent eos quærere, qui incau-  
 ti se decipi facilè permittunt. Nihili est  
 hæc ars, aurum enim ab arte nunquam  
 generatur: Sola natura substantiam dare  
 didicit. Ex semine naturâ producto, na-  
 turalis substantia provenit, si quæ pro-

B 3

duci

duci debet post mundi creationem. 2. Nec nomine Alchymiae accipito, secundum vulgarem viam, aquas, salia, & olea preparandi artem: sed facultatem, quã semen in propriam injectum terrã fovetur, digeritur, & coquitur in aquã convenienti, usq; dum infans secundæ generationis prodierit, & medicina emergat splendida, itaq; secundum sanã philosophiam & alchymiam nihil aliud fit, nisi ut semen naturale cum agnatã terrã accipiatur, illud continuo calore foveatur, & aquã vivã frequentissimè irrigetur, usq; dum arcanum ad summã provenerit subtilitatem, & operandi vim multis modis adauctam atq; amplificatam inde retulerit. Hoc est thesaurorum thesaurus, medicinarum Medicina, & omnium arcanorum arcanũ. Beatum mecum affirmabitis eum qui à Deo fruitionem ejus impetraverit. Hic enim non tantum Spiritum Universi in manu suã tenebit, sed etiam omnium virium tam coelestium quàm terrestrium

strum habitaculum, totiusq; mundi gloriam occupabit. Hæc naturæ medulla est, verus solis & Lunæ filius, cum naturâ hominis summâ habens cognationem & affinitatem. Sed cum

Non cuivis homini contingat adire Corinthum,

Sorte nostra contenti remedia specifica & appropriata gravissimis morbis propulsandis destinata investigemus, atq; veræ chymicæ ductu eò tendamus, ut fistulas cancrasas, ulcera maligna, atq; alios internos morbos vulgò tam difficiles curatu per debitas medicinas expellamus, & novâ methodo, vel novè exortas ægritudines extirpemus. Quod si Deus hisce conatib. adspiraverit favoris sui auram, illud nacti sumus, quo omnium adversariorû petulantia facile deprimatur & concidat, qui habet aures audiendi audiat.


Audivistis ita auditores hætenus, quid sit vera & solida Hermetis philosophia, nimirum, quod sit doctrina Spiritum universi explicans, & viam, quâ eum ex certâ aliquâ materiâ in usum hominis, eruamus docens. Spiritus hic Mundi est theatrum secretorum luminis naturæ totius: speculum mysteriorum Dei, & miraculum universæ naturæ. Est filius Solis & Lunæ, qui suo in cælum ascensu & in terram descensu omnes vires superiorum


&

& inferiorum adeptus est. Est unica medicina, quâ omnes in universum morbi, quales quales, & quanti quanti fuerint, facile, Deo annuente, evellantur & abigantur. Materia hujus præstantissimæ Medicinæ cum sit cunctis nostri temporis medicis prorsus incognita. Non enim ad fores eorum pervenit, qui templum Apollinis non intrarunt per debitum ostium, sed per tectum descendentes sedem illius occuparunt, veluti scribe olim & Pharisei sedem Moisis. Et dum scientiarum claves in captivitate iniquâ detinent, suis placitis nil efficiunt aliud, quàm ut sinistrè docentes ipsi non ingrediantur Naturæ academiam, & alios rectè discendo ingredi cupientes, suis dehortationibus perniciosius in laudabili remorentur cursu, ita ut nunquam ad veritatis cognitionem perveniant, & ubi vera antiquorum Philosophorum medicina lateat, nescire cogantur.

Quæ cum ita sint, omne saxum volvamus, ut & hujus nobilissimæ medicinæ materiam, & ejus eruendæ modum vestigemus in honorem Dei & proximi utilitatem præstantissimum illud arcanum adhibeamus, & post hanc vitam cum beatis Angelis in unitate Spiritus & naturæ Summâ convenientiâ per Deum Ter Opt. Maximum vivamus.

D I X I.






Fr. Neppien,  
Buchbinder  
in  
ROSTOCK  
bey der Marien-Kirche.





21  
pinguis corpusculo  
Quod scimus loquimur  
mur verum est. Jesus C  
redeat id quod nobis p  
peccata ademptum est  
revertetur seculum, &  
reum. De obscuritate e  
ne conquerere: Mater  
medicinæ perspicuè i. d  
telligis, tuam ipsius ac  
Modus, quo ex verâ n  
producamus medicina  
nobis proponitur & do  
nomine Alchymiaë nor  
tiam & artem, qua aur  
conficitur: Hæc eni  
nis est, & certissimum  
gnum, qui hinc & illinc  
gantes, solent eos qua  
ti se decipi facilè perm  
hæc ars, aurum enim a  
generatur: Sola natura  
didicit. Ex semine nat  
turalis substantia prov  
B



as.  
qui-  
ut  
ra,  
um  
fer-  
ixi,  
ere  
in-  
tia,  
am  
miâ  
um  
en-  
allis  
na-  
fi-  
va-  
cau-  
i est  
nam  
dare  
o, na  
pro-  
duci